QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIII. IANVARII. M. CAROLO LE CLERC, DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An Dysentericis exsiccantia? 709



ORBVS omnis vlcus est, ab ichore mordaci & ῥυπῶ sordescente ortum solum habens, ab ijs duobus vlcera omnia, & benigna, & quæ proprijs nominibus insigniuntur, Chironia, Telephia, Cancrosa, Phagedænica, δυσεπούλωτα quæ vt non suppurantur neque sanantur: quæ sicca sunt ad sanum, quę humida ad vitiatum propius accedunt; à causis internis omnia, ab externis nulla, neque ea quæ à canis rabidi morsu, neque quæ ab impura venere, cuius lues (quæ hydrargyrosim sibi habet infensissimam) bibendo & concumbendo derepente contrahi potest, neque quæ ab elephanticis, quorum vt diuturna est causæ morbificæ generatio, sic repentina formæ impressio. Externa vt cognitu sic curatu faciliora, vino solo, aut aqua tepente, interdum & frigida persananntur. Interna quæ σχαστικῶς nec nisi ab excretis cognoscuntur, difficiliora; humorum potius qualitate, quam copiâ peccantium contingunt, quæ iecur praué affectum habent, vt hydropicorum & dysentericorum, vbi sanies atra, fœtida, & fæcis vini instar, non curanda.



INE dolore intestinorum & vlcere dysenteria nulla, quam efficit pituita putris, & vtraque bilis, nunquam verò sanguis, quò profundius vlcus eò periculosior; insanabilis veró vbi carunculæ excernuntur: mulieres quam viri, senes & pueri quam iuuenes, & in status vigore consistentes difficilius curantur; senes tamen ætate iam grandes multi per dysenteriam morbis acutis defuncti sunt, imo & epilepsiâ: lienosis dysenteria superueniens, bonum; pituitosis vero, malum: si quod tenuium intestinorum exesum fuerit in propinquo mors est. Estne eorum an crassiorum facile discrimen? si cruor & ramenta ita mixta sint reliquis excrementis vt vniuersa misceantur vniuersis & dolor supra vmbilicum, in tenuioribus intestinis; si vero pingue quid aut ἐφελκίδες solæ supernatent, dolorque sub vmbilico, in crassioribus vlcus est, curatu multo facilius: sibi caueant lentiginosi & balbi ad hunc affectum maxime procliues, præsertim verò vbi intemperanter vino meraciore, aut largo potu aquæ niualis aut fontanæ, pluuiali multo deterioris sese ingurgitant: nonnunquam mochlica medicamenta, vt scammonium, Colocynthis & Adamantis puluis, necnon vitiosa & acria ingesta alimenta altius ita se in intestinum figunt, vt dysenteriam excitent.



ACILIS est dysenteriæ in pleuritidem, peripneumoniam, delirium, arthritidem & apoplexiam, eâ multò deteriora, mutatio, vbi præsertim intẽpestiue sistitur, quod fieri nusquã debet nisi in eius affectus iudicatione. Quid audebis vbi febre pestilenti correptis succedit? pauca, aut nulla; Æstate præsertim, quâ frequẽtiores vt Autumno longiores: frustra tanti symptomatis tentatur perfecta curatio, nisi ad causam antecedentem generalibus subueneris præsidijs, nisi plenitudo secta multoties vena, mediana & saphæna tollatur; nisi purgetur cacochymia etiam initio, myrobalanis, tamarindis, cassia, rheo minime torrefacto, senna; nonnullis sola purgatio sufficit, quibusdam sola sanguinis detractio nullis adiuta sarcoticis: si tenuiora vlcerantur intestina purga frequentius, si crassiora enematis crebris aluum prolue absque pinguibus, suillus aut caprinus etiam adeps multum nocet.



BI inflammatio extincta, materiæ feritas infracta, sarcosis, opus naturæ non artis, est exsiccantibus promouenda, quæ facultatem mediocriter citraque morsum abstergentem permixtam habeant, maiorem tamen quam ea quæ κολλητικὰ dicuntur, quibus ichor saniosus & sanies ichorosa abstergendo desiccetur & desiccando abstergeatur: mirum est in rerum natura sarcoticum nullum, hypersarcotica & epulotica multa, quæ ad id symptoma tollendum omnia in vsum reuocanda, his si non cedat, vomitus si non sponte, medici beneficio exciteтur, profluentem enim aluum mirifice adstringit & exsiccat; initio tamen seu biliosus, seu pituitosus, graue malum.



PAGE tristia animi pathemata, animum exhilara, quid ni modesta & moderata venere? ea calorem natiuum recreat, sopitos spiritus ad dysentericorum leuamen exsuscitat, somnus omni arte procuretur, iusculis multâ lactucâ & semine papaueris medicatis, hordeatis, pilulis de cynoglosso, diacodio, laudano: vt parce cibandum, parcè bibendum. è carnibus, selige perdicis, palumbium & leporis; è fructibus, mala punica, cydoniata, mespila, sorba, pruna syluestria: ex herbis, portulacam, plantaginem, symphytum, acetosam vtramque, centinodiam: è vinis, vetus, austerum Aurelianense aqua chalibeata dilutissimum; lac omne siue crudum siue coctum mirificè confert; é remediis, purgantia omnia blandè iuuant, tabellæ triumsantalorum cum Rheo, opiatæ, quæ coralia, mastichem, sanguinem draconis, terram lemniam, & bolum Armeniam permixtam habeant, si vero diuturnitate contumax is affectus ad aquas omnes metallicas, ferratas præsertim, te confer.

Ergo dysentericis exsiccantia. 155

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS HELIOT Parisinus, Anno R. S. H. M. DC. XXVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Du Cledat,	*M. Thomas Gamare.*	*M. Ioannes le Mercier.*
M. Nicolaus Roland.	*M. Anthonius Charpentier.*	*M. Michael Toutain.*
M. Claudius Quicquebœuf.	*M. Franciscus Pijart.*	*M. Simon le Tellier. M. R.*